

PRÆPARATIO AD PEDEM ALTARIS

- S. In nómine ✠ Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.**
S. Introíbo ad altáre Dei.
M. Ad Deum qui lætíficat iuventútem meam.
- PSALM 42:1-5
- S. Júdica me, Deus, et discérne cáusam meam de gente non sancta: ab hómine iníquo et dolóso érué me.**
M. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: quare me repulísti, et quare tristis incedó, dum affligit me inimícus?
- S. Emitte lucem tuam et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.**
M. Et introíbo ad altáre Dei: ad Deum qui lætíficat iuventútem meam.
- S. Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: quare tristis es ánima mea, et quare contúrbas me?**
M. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: salutáre vultus mei, et Deus meus.
- S. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto.**
M. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sácula sæculórum. Amen.
- S. Introíbo ad altáre Dei.**
M. Ad Deum qui lætíficat iuventútem meam.
- S. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini.**
M. Qui fecit cælum et terram.
- S. Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Mariæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Páulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccávi nimis cogitatíone, verbo, et ópere: (percutit sibi pectus ter, dicens) mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Mariam semper Virgínam, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Páulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.**
M. Misereátur tui omnipotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.
S. Amen.

M. Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Mariæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Páulo, ómnibus Sanctis, et tibi, pater, quia peccávi nimis cogitatíone, verbo, et ópere: (percutit sibi pectus ter, dicens) mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Mariam semper Virgínam, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Páulum, omnes Sanctos, et te, pater, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

S. Misereátur vestri omnipotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.
M. Amen.

S. Indulgéntiam, ✠ absolutíonem, et remissíonem peccatórum nostrórum, tríbuat nobis omnipotens et miséricors Dóminus.
M. Amen.

Et inclinatus prosequitur:

S. Deus, tu conversus vivificábis nos.

M. Et plebs tua lætábitur in te.

S. Osténde nobis Dómine, misericórdiam tuam.

M. Et salutáre tuum da nobis.

S. Dómine, exáudi oratíonem meam.

M. Et clamor meus ad te véniat.

S. Dóminus vobíscum.

M. Et cum spírítu tuo.

S. Orémus.

Ei ascendens ad altare, dicit secreto:

Aufer a nobis, quáesumus, Dómine, iniquitátes nostras: ut ad Sancta sanctorum puris mereámur méntibus introíre.

Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde, manibus iunctis super Altare, inclinatus dicit:

Orámus te, Dómine, per mérita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt (osculatur altare in medio), et ómnium Sanctorum: ut indulgére digneris ómnia peccáta mea. Amen.

